

receptum et pastum similiter pro comuni Gebiti fieri, et tunc factum fuit, ut vidi, et multas reclamaciones vidi ibi ante curiam fieri de hoibus¹ illius terre, et omnes illi, de quibus reclamatio fuerat, antea veniebant, dabant wadium banni, et qui non veniebant pignorabantur, ut vidi de illis pignoribus multis pignoratis. Et scio, quod vidi unum de militibus illius terre Gebiti, Amizo nomine, reclamationem de eo fieri stantem ante curiam illam et respondentem ad illud placitum, quod ei fiebat, et rationem faciente¹ per curiam. Et scio, quod curia fecit clamare iuratos illius terre Gebiti et distrinxit eos iuratos per sacramentum, ut dicerent et patefacerent veritatem de eo, quod fuisse¹ ratio curie et de licitis rebus. Qui iurati manifestaverunt, quod omnes habitantes in Gebito debebant se distringere sub comite Garde ad placitum generale tribus vicibus omni anno, pro omni vice tribus diebus, et rationem facere ante curiam, si reclamum¹ fieret, et custodire illud placitum, donec teneret, nisi cognoscerent vel haberent in feudum per curiam, et quod illi, qui impedierant de comuni vel impeditum habebant, debeant refutari in manu potestatis et dare wadium banni. Et hoc vidi curiam fieri facientem. Et scio, quod habebam multos baculos, qui fuerant dati pro wadiis. Et cum exivi foras causa inveniendi eos, qui wadium dederant, interim acordum se fecit inter comune et potestatem pro wadiis bannorum, que date fuerant. Et fuit illa mena facta per centum libras Veronenses, et ego debebam de ea mena habere XX solidos, sed inde non habui nisi X solidos. Et scio quod predictus Belloncus, antea quam hoc² dictum habeo fuisset, ivit Gebito causa tenendi placitum generale, ut sonus et fama fuit per totam terram, nisi quod ivissem tunc secum, sed ire debebam, sed quia impeditus ita fui, quod ire non potui tunc.

Interrogatus, si vavasoires habent aliquam rationem, quod non debeant se distringere sub potestate Gebiti, respondit: Nescio.

Predictus Wazo de Bardulino eo predicto modo, ut predictus Girardus iudex de predictis causis iuratus, testatus dixit idem quod Girardus, excepto quod non ivit cum illo comite Gebeto pro iudice et quod non tenuit baculos pro wadiis et quod non habuit de illa mena X solidos.

1) Sic! 2) Ergänze: *quod*.